

lo descriptum LEONARDVS RIISSEN vs Theologus Helvetiorum non postremus; quando enim subtractionem Paulus dicebat institui ἐν δικαιοσύνη nimirum *imputativa* Christi, quam qui amplecterentur fide sincera & constanti, salvandi essent, aliter longe ille procedit, & in solo DEI placito sine intuitu ad fidem vel incredulitatem in Christum causam electionis & reprobationis collocat. *Non potest dari in Deo voluntas puniendi nisi peccatorem, nec poenae infectio vel destinatio justa esse potest sine culpa: sed non est par ratio actus negativi seu praeteritionis, quae ab eo ut supremo domino pro jure suo autocratico oritur. Illius enim causa praeter ejus εὐδοκίαν nulla proprie dari potest.* Ita scribit Loco VI. de Praedestinat. Controv. VI. p. 136. Quis non animadvertit, culpam sic omnem damnationis & praecedanei peccati, (quandoquidem sine culpa non damnari reprobos conceditur,) in DEVM conjici, cum ipsi visum non sit eos vocare, efficaciter per verbum invitare? Annon sic calculi divini turbantur, & justitia Dei in injustitiam, benignitas in crudelitatem commutantur? & doctrina tam salutaris & evangelica in nuncium tristem desperationis abit? quod fieri omnino oportet, si subtractio divina absoluta & non instituta praevisa fide aut incredulitate hominum doceatur. Frustra excipit RIISSENIUS: *si reprobatio fieret ex praevisa infidelitate, non esset mysterium inscrutabile, nec Apostolus ad arcanum Dei judicium adscendere debuisset, ad OS homini obstruendum in objectionibus, quas caro hic movere solet, si tam facilis suppetebat responsio petita ex ipsis hominibus & eorum infidelitate?* Verum res salva est, RIISSENI, Paulus non reponit aut quaerit mysterium in absoluto quodam reprobationis decreto, sed in admiranda bonitate, quod, cum potuerit omnes in universum homines salute aeterna excludere, nihilominus medium salutis sufficientissimum in Christo ejusque

que